

M I E E P L

1 6 4 7



7

**AD
REGES
PRINCIPES
REGNORUM
PRINCIPATUUM
ORDINES**

Exulum Magdeburgensium *1739*
literæ supplices.

ANNO M. DC. XXXV.





A Rchiepiscopatus Magdeburgensis Or-
dines, cum à Divo Rege, & illustris-
simo Oxensternio cuncta ad votum à
nobis impetrata erant, id supplicibus apud
hunc literis egerunt, ut promissa & donatio-
nem differret. Nos ipsorum tam perversà
injurià lacesiti, causâ nostrâ equitati confi-
si, ad miseriâ ultimâ solatium Reges ac Prin-
cipes orbis compellavimus, cunctisque ceteris
eam approbare studuimus. Omnium faci-
litatem nobis spondimus, quorum
lachrymis exitito nostro pa-
rentatum est.

ANNO M. DC. XXX.

SERENISSIMI REGES.
INCLYTI PRINCIPES.
ORDINES ILLUSTRES, GENEROSI,
NOBILES.

Sic in rebus humanis comparatum est, ut
variâ & inæquali sorte omnes utamur. Id nostrum,
id vestrarum Serenitatum & Cels. fatum est. Nemi-
nem hic fastigium eximit; subjecit magis. Volvimur
affiduè in hoc terrarum orbe varijs fortunæ casibus.

Id solum ea constans habet, ut inconstans sit. Infelicitatem regio
nitore mutat, & divitias Croesi ad Iri pauperiem devolvit. Vige-
mus, floremus, languemus, arescimus, nascimur, denascimur.
Cuncta uti orta sunt, sic intereunt, & quæque dies cujusque rei ævi
partem carpit. Nec hominum tantum, sed & commune imperio-
rum, regnorum, rerum publicarum, urbium fatum quoddam est.
Lentis ad aucta incrementis, cum in summo posita sunt, una dies
solo æquat; rursus priorem originem repetentia latiori (cum alte-
ra sit) felicitate fruuntur; nec diu, quin mox alter funestus casus
ea diruat. Sic, in se remeante vicissitudine, cuncta feruntur; suo
quæque fato, sed in quo vis divina homines inter se committit, qui
ut ad salutem mutuam, sic & ad exitium nati videntur: revera
autem ad salutem, quam quisque in se caram quidem, incolumem
autem non habet, nisi & alteri præstiterit. In humanis alter alteri-
us auxilio viget, humanæque societatis anima miseratio & benignitas
sunt. Indigentiam, copiam, miseriam, felicitatem, ita Deus
miscuit, ut nec miseri semper laborarent, nec deessent, quibus
felices felicitatem suam probarent: si opem negant, labat hu-
manæ sortis commercium, cumque soli persistere non possint,
ruent, quia ruinam ceterorum securi viderunt, discentq; serò
miseræ fortunæ commiserescere, postquam in eandem præ-
cipitati

4
cipitati fuerint. Principium manus potentes Deus voluit, quod potentiores autem, eò faciliores, ne qui maximè possent, nocere vellent, benigni si esse vellent, possent. Eorum celebris, & pervetusta semper memoria fuit, qui virtute, clementiâ, benignitate, beneficiâ ad glorię culmen contenderunt. Nimirum præter virtutem æternum nihil est. Hoc reges, principesq; ingens habent, & quod nulla temporum dies rapiat, orbi quietem, seculo suo pacem dare, miseris prodesse, supplices fido lares protegere. Tum verè principes, si se homines esse meminèrunt, si communis sortis non obliviscuntur, si cives, subditosque suos ex æquo regunt, miseris succurrunt, afflictis opitulantur, libertatem populorum, ut Divam, colunt. Ac magnam profectò illi laudem adepti sunt, qui nec civium suorum, nec aliorum libertati insidiati sunt, aut eam per vim oppresserunt, non solidam tamen, integramque, penes quos stetit, quò minus alij eo abstinerent. Planè ea omnium gentium, quæ Corinthiorum ad Lacædemonios, vox est. Non eum solum, qui per vim libertatem opprimit; sed & qui tyrannidem, cum possit, haud coërcet, oppressoris nomen mereri, maxime, si se communis libertatis vindicem profiteatur. Id ne in vos nomen quadraret, sedulo Serenissimi reges Inclyti Principes, Ordines nobiles, cavistis. Jam annos aliquot sub bellorum onere Germania gemuit, tandemq; afflicta jacuit libertas, quæ dudum animam efflasset, nisi vestræ medicanti manui hinc laus, honorq; destinata fuissent. Accuristis strenui, penè eam restitulistis; majore animo, & feliciore fortunâ, quam oppressa fuerat. Frigidis defensoribus hoc tempus non egere putatis. Hinc nullos odistis magis, quam quos neutri addictos parti ambiguus versat animus: cui ignaviæ si plures se dedant, grasfabitur latè impietas, tyrannisq; cœlo caput locabit. Regium excelsumque vestrum decus hac tempestate maximè enituit. Et servari non indecorum, & servare pulchrum existimastis. Scilicet, ut summum solamen mortalitatis servari; ita servare divinitatis in homine argumentum est: illo fragilitatem, hoc
fortis

*Thucyd.
lib. 1.*

fortis humanæ fastigium homines testantur. Eapropter vos
Sospitatores Germaniæ ac orbis compellamus, quos ad divi-
num illud opus non vanus ardor, non impatiens libido, non
armorum præceps amor, sed pietatis, juris publici, Majestatis,
utilitatis, & sempiternæ gloriæ sacramentum adegit. Profugi
nobilissimæ & antiquissimæ civitatis sumus, quæ felix adhuc
esset, & beatos cives haberet, si tam superis libertatis cura pla-
cuisset, quam vindicta placuit, & placet. Eam, ut summis
semper fulmina infesta sunt, variis impetitam casibus, vexatam
bellis, quassatam cladibus, tandem nostra miseranda ætas fu-
nesto, eheu, excidio prostratam vidit, impressissetque dudum
rusticus dirutis muris aratrum, ni loci genius, & quæ cunctos
ejus reverentia ducit, obstitissent. Sedet altum Patriæ amor,
& occulto numine nos ea tellus trahit; etsi fortunis prioribus
restituimur, si patria jacet, deerit illud felicitati nostræ, non
esse Magdeburgi; nec exiguum, si rem, at maximum, si nostrum
patriæ amorem spectetis. Juvabunt adultam ac postremam æ-
tatem nostram, ea mœnia reparata, ea restituta compita, ea
tectâ nova, in quibus infantia nostra vagiit, pueritia lusit, ado-
lescencia exercita est, virilis ætas robur amisit. Vestram opem
supplices imploramus, non communi tantum humanæ fortis
vinculo, & vestra facilitate, & clementiâ invitati; sed arctio-
ribus nexibus devincti, & propiore affinitatis necessitudine
conjuncti. Germaniæ (cujus laudes ut nostra exigit calami-
tas, ita vestram effugiunt invidiam) penè cuncta Europæ re-
gna ac regiones nobiliorum ac præcipuarum familiarum ori-
ginem debent. In iis cum ea cognationes, affinitatesque mul-
tæ, & longâ seriè deductæ. Omnium refert, an Germaniæ
benè sit, quæ cum ea non magis imperij rationes & negotia,
quàm commerciorum vicissitudo, & rerum gerendarum mu-
tuum auxilium copulavit. Tacemus, quòd plurimæ aut Ger-
manici imperij partes quædam, aut propagines sunt. Omnia vi-
cium adjacent, ac pro varia Germaniæ fortuna animos aut
sumunt, aut ponunt, fortunam ab ea habent, & cum ea mutant.
Germania Europæ meditullium est, & veluti cor quoddam,

quo cætera, ut membra, vigent, labante, deficient, intereunt-
que. Hæc cunctis nota, & in confesso sunt. Ea sigillatim ex-
sequi nec res suadet, nec imperiorum arcana, nec nostræ con-
ditionis ratio patiuntur. Sumus profectò in eo discrimine,
à quo si laudem liberatores expectant, opitulari quocunque no-
mine, etiam nullo, gloriosum erit; is omne punctum feret,
qui non multis adductus rationibus accessisse; sed ferventi ani-
mo & cito pede properasse dicetur. Pressi tot malorum one-
re, tot cladibus afflicti, in eas angustias redacti, quæ & spiritui
graves sunt, pectus nostrum ad auctis viribus excutimus, &
singultantibus verbis id elogium celsissimo vestro nomini dica-
mus.

¶ Servari, & Servare Vestrum est.

Vestra salus Germaniæ incolumitate indiget, sine qua im-
perium vestrum vacillat. Germaniæ salus in periculum ad-
ducta est, à qua non oppressio, non libertatis ac rite stabiliti
imperij, violatio, non excidium, non interitus nisi vestris mani-
bus avertentur. Adierat jam ingens discrimen Europa uni-
versa, quam confestim dissidia lancinassent, macerassent o-
dia, ussissent palantes populatus, armorum rabies cœde latè va-
stasset, sanguine aspersisset, tabe, squalore, situ maculasset.
Intellexistis iniquioris fortunæ minas, ac pro viribus imminenti
malo occurristis. Tanquam ad commune incendium ab o-
mnibus concursum est. Et hæcenus nec vires vestras fortunæ
subtraxistis, nec vos fortuna destituit. Egregiam verò lau-
dem! Aternitati ille ausus vester sacrabitur, quem posteritas
omnis imitabitur magis, quam dicet, exemploque estis, quod
illis incitamento erit, Supremum Numen piis conatibus haud
unquam obistere, nil pio indomitum, nil tutum nocenti
esse. Inter hæc patriæ solamina & fomenta nos altius cladi
nostræ immergimur, nec uti vinci, vastarique nobis cum
cæteris commune, ita vincere & restitui est. Jacet squallida
& senta urbs nostra, cuius vix vestigia internoscas. A culmine
alto ruit Magdeburgum lapsu certè graviori, & materia mæro-
ris nobis major, post cladem, deserta urbs nostra est, quàm
cum

5
cum furentia Caesarianorum arma, tectis immixtas faces, cuncta
populantem flammam, undantes sanguine plateas, repleta quæq;
& densatum cadaveribus & cruore flumen, & ea, de quibus vere-
cundia, dolor, indignatio silentium imperant, conspeximus. Tu-
mulum civitas nostra, & multo oppressa aggere, ex terra, quæ ci-
vium sanguinem absorpsit, ex albi, qui fluitantia ad Oceanum
corpore devexit, ex ære, æthereque, quæ ad eam internecionem
incendia & flagitia attonita steterunt, quæque sceleris indicia,
vitionisque argumenta referunt, miserandum vociferatur. At
nomine Suppremi Numinis justissimi judicis, acerrimi vindi-
cæ, qui suorum per cladios, ignem, aquam, laqueos trucidato-
rum, pauperie, mediâ, siti, miseriâ, luctu enestorum spiritus in
cælum recepit, ætheris, æris, telluris, aquæ, superstitum Magdo-
burgensium lamenta, vota, preces ad vos unanimi chordâ lata
exclamant.

Servatè. Servatè. Servatè.

Vox interfectorum, & disperforum servorum Gedeonis
nostri, ex vertice montis Gaisim auditur eo loco, quo profugus
minimus Jothami filius patris sui, ac fratrum rebus afflictis sterit,
ac Francofurtum versus it. *Audite vos Germaniæ vindices, con-
servatores, stabilitores, ut & Deus vos audiat.* Robur addit Salo-
monicus servus, horrendumque ex monte Ebal intonat. *Qui
ad plañctus & miseri sterus aures obturat, & ipse vociferabitur; nec
tamen exaudietur.* Excistimus, & perimus quotidie propter
eam causam, eaque negotia, quæ curictorum Germaniæ vindi-
cum sunt. Eadem causæ nostræ æquitas, idem jus est, merita no-
stra in eos omnes quam plurima, officia varia. Licet hæc a-
pud totum orbem paucis delibare, quibus de causis nos armis
Suecorum sociaverimus, quæ commoda præstiterimus, quo fato
ad perniciem redacti simus, quo pacto emergere studeamus, &
quibus modis id iuthibeatur.

Ab anno 1625. usque ad annum 1630. periculosum
semper bellum, fortunâ variâ, atrox discordiis, sævum cladibus
& vastationibus fuit. Sub ea belli alea, exemplum inclytorum
Electorum, Principum, cæterorumq; ordinum utriusq; Saxonie
secuti



secuti in officio perstitimus, & imperatis Cæsaris parvimus
ita quidem, ut nec tyrannidem Ligistarum, qui se cæsarei do-
minatus auctoritate tuebantur, detrectaverimus, quæ ipsis pla-
cuerunt, imposita onera passi, necessitatis telo haud occur-
rendum rati, tolerantiam pro clypeis induerimus, alterâ parte
fortitudinis nobiles, postquam ea non liceret propulsare. No-
luimus sine exemplo Saxoniam superioris, in qua duo Electo-
res, nobis contermini, imperarent, cum ceteræ fœderatæ ur-
bes quiescerent, primi jugum excutere. Interim Evangelicæ
parti semper addicti, fidei erga eam omni pacto satis facere stu-
duimus. Præsidia Cæsaris exclusimus, transitu, ne quid detri-
menti inde ad Evangelicos rediret, prohibuimus, propter
quæ tum coronâ cincti, tandem, ubi conventum esset, liberati
sumus; conatibus eorum, qui Ligistis studebant, semper ad-
versati sumus; quos in urbe nostra Senatores metuebamus, se-
movimus, & quò undiquaque intuitiori res nostræ essent, Pro-
testantibus æquiores substituimus. Non diu post in Sacra no-
stra sævitum est, & metuimus ut conscientiæ, sic pietati no-
stræ; jamque in eo res erat, ut aut turpiter obediendum, aut
masculè resistendum esset. Non dubitavimus diu, quin peri-
culum pro pia Evangelica parte, pro Germaniæ libertate sub-
ire satius esset, quam externæ incolumitati, & saluti nostræ
consulere. Haud gravius nos malum pressit, quàm nos citò &
fortiter oblatam fortunam amplexi sumus. Spes maxima un-
dique affulgebat. Cunctantibus ceteris Inviçtissimus Succo-
rum Rex Gustavus exercitum in Pomeraniam exposuerat, qui
ad libertatem Germaniæ asserendam properabat. Initia læta
erant, ac victoriis prospera. Undique jam Principes per lega-
tos cum eo fœdus expetere, & pangere. Quæ, ut & sua
Marchio Christianus Magdeburgensis Archiepiscopus Ad-
ministratores quotidie nobis inculcare, per cœlos orare, ut tan-
dem suo exemplo cautiores redderemur. Se innoxium impe-
rio pulsum, qui nil adversus Cæsaris, nec Imperij Majestatem,
nil adversus Principes, nil adversus Magdeburgensem & Hal-
berstadiensem ditiones deliquisset, qui licet consilia inferioris
Saxoniam

9
Saxoniam, in vindicanda per Regem Daniæ libertate non impro-
basset, non tamen criminum intentatores, nec defensionem
subterfugisset. Utriusque Episcopatus Canonicos Evangeli-
cos pessimè rebus consuluisse, qui sine sufficiente detrectatione,
non coacti, cum id & æquitas, & jus, & officium exigent, in
manus intrusorum Romano-Catholicorum canonicatus suos de-
posuissent. Ditionem obtruso novo Principi juramenti sollen-
nia præstitisse. Ex adverso fida omnia ac tutam in Sveco esse:
Eum esse, qui nil nisi divinâ ope aggredere tur, quem Numina
nunquam destituerent, de quo malè tunc fortuna mereretur,
cum post vota veniret, qui non avidus magis, quam capax virtu-
tis, fortunæ, & gloriæ esset, cujus consilia non ratione pruden-
tiora, quàm eventu feliciora essent, cui & audacia in gloriam ces-
sisset. Auxilia cum, & defensionem promississe, literis publi-
cis Electores, ordines, ditiones, civitatesque Imperij ad Fœdus
invitalle, cuncta sua prompta sub sua fide addixisse, nec pretium
tamen, nec præmium velle. Inviolata nos habituros, & regi-
minis formam, dignitatem, libertatem, privilegia. Adesse no-
bis cum certioribus Regis literis ac mandatis Consiliarium Stal-
mannum, qui ad ultima etiam, consilia, operam suam offerret; si
cordi nobis pietas, patriæ honor, salus essent, ad liberationem
nunc properandum nobis esse, quibus præsens religionis, liberta-
tis, incolumitatis periculum impenderet. Hæc cuncta pensi-
culantibus fœdus cum Sveco & Marchione (Administratore)
arrisit, hæc conditione, ut primam & avitam urbis nostræ liberta-
tem, & statum restituerent, & aliis, quas in præmia laboris stipula-
ti sumus. Ac postquam cum iis ex æquo pacti sumus, & nos in
fidem amicitiamque recepissent, officio strenuè defuncti su-
mus, fidemque non nisi cum morte, & excidio per cœdes, in-
cendia, & cætera tyrannidis deseruimus, ceteris urbibus, ordi-
nibus egregio fuimus exemplo, qui nostram virtutem, con-
stantiam, fidem æmularentur: Spe promissi subsidij, in tem-
pore ad futuri auxiliij, ac belli ex Saxonica ditione, in hostilem
agrum derivandi urbem nostram dedidimus, nostris ad omnia

B

tuto



Cicinnæ tuto meatui, illis impedimento. Et cum in bellis civilibus nil tur-
lib. 1. tius festinatione sit, ut ille apud Tacitum existimavit, & cum us-
Lib. 2. belli, præsertim civilis, initia eveniunt, ita cetera postea erodantur, id
 omnibus modis, ingenti spe accensi, cui haud facile sat festinatur,
 egimus, ut hostium consilia celeritas nostra anteverteret; no-
 stra, quò inopina magis, eò formidabiliora essent. Sed non
 omnia ex voto cesserunt. Equestres Borussicæ turmæ, quas
 Invictissimus Rex nobis destinaverat, præter cunctorum spem
 ac opinionem tardare, imperatis non nihil deesse, ij, quo-
 rum maximè intererat, de transitu tergiversari, iterque præclu-
 dere, alij delectum militum impedire, arma, belli apparatus,
 & quæ cetera usui forent, per vim detinere. Hinc imminu-
 tis rebus nostris, nobis sine subsidio relictis belli discrimen peri-
 culosum, & exitiale fuit. Quantum terrere alios potuissemus,
 tantum ipsi metuimus, bellique tempestas in nos penitus desævire;
 non tam Spartanâ aliquâ tarditate suppetias ferendi, in quam Co-
 rinthij apud Thucyd. lib. 1. acerbiusculè invehuntur, quàm eo-
 dem fato, quo Saguntini periêre, qui à Romanis non legatos, sed
 arma expectaverant; quo Masinissæ hæredes, & maximè Ather-
 bal in obsessa Cirta ad angustias redacti sunt. Non quod virtuti,
 prudentiæ, fidei invictissimi Regis detractum velimus; sed de
 ijs conquerimur, penes quos & culpa, & iniquitas fuerunt. Ita-
 eo quidem, quod caput votorum erat, excidimus; cetera tamen
 haud infructuosa. Hostem Albi prohibuimus, ac ne commea-
 tus, arma, ceterique apparatus tuto amne subveherentur, impedi-
 vimus, de quo pluribus Summi annonæ Præfecti hostilis interce-
 ptæ literæ conquestæ sunt, ne legiones hinc inde supplerent, cete-
 risque accersitis exercitum firmarent, obstitimus, multa hostium
 iussa, mandata, decreta, consilia in literis interceptimus, eo-
 rum indicia, ad quos pertinerent, perlata, & sic elusa ac irrita
 in fumum abierunt. Exercitus hostium in Pomerania & Mar-
 chionatu interea diffluit, Suecicus quotidie crevit, ex quo
 ipsis periculum majus, nobis victoria in prælio paratior. Va-
 lidissimum Ligistarum exercitum sub Tillio distinuiimus, & re-
 ruit

rum gerendarum occasiones, tempus apud nos diutinā morā distulit. Exin compositis rebus formidabilior esse Suecus, Saxonicus Elector exercitum legere, eumque Sueco jungere. Nec minus ipso exitio nostro profuimus. Miserabile excidium nostrum permovit ceteros, & dedit exempla quamplurima, ut quā multī à tyrannide & sævitia illa Cæsareanorum abhorrent. Monuit nostra clades ordines, urbes, ut quamprimū sibi prospicerent, foedus cum Sueco accelerarent, necessaria belli promptē suppeditarent, quò tuti degerent, nec à pari, aut simili tyrannide periculum, aut metus esset. Opima nostræ urbis spolia, quantum manus hostium ditârunt, tantum fortitudinis animis eripuerunt, molles, lascivos, tardos, & ditatos magis ad fugam, quā prælium propensos reddiderunt. Piæ superstitem nostrorum preces vindicem cœlo Deum excivêrunt, ut in tyrannorum capita sæviret, hostium copias attereret, profligaret, excinderet. Paucorum militum, præfectorumque si quæ malignitas est, quæ gloriam, famamque nostram rodât, hos livor transvorsos egerit, in quibus non ratio, sed affectus imperant, qui scientiæ parum, minus intelligentiæ, judicij habent minimum. Ita se res mortaliū habent, ut quò quis infra dignitatem, eò magis judicij malignis expositus sit. Ex ineptijs quorundam etiam quilibet rumor increbrescit, si calumniandi virus, & malevolentia animos inflamment, vires acquirit, ac ut ceteris, sic & sibi vulgus amat imponere; quod contemnendum, cum vero rariùs faveat, pejus merenti facilius, iniquius autem bono sit, sæpius ex successu existimationi modum det. Prudentum, cordatorum hominum judicio & stamus, & cadimus; quibus ut multis causam nostram probemus, haud necesse esse existimamus. Ibit in æternitatem Magdeburgum, ac in ævo temporum, fama que rerum perennabit, dicentque posterī æquitate majore nos priorem fortunam efflagitare, quā iniquitate ex ea dejecti sumus. Nec tamen inficias ibimus, qui candor noster est, in ea urbe, quam tot millia hominum incolerent, fuisse certè, quos neglecti officij dedecus arguit. Scilicet ita comparatum

est, ut virtutibus meliorum semper pessimorum conatus adven-
 sentur; nec, quia vitium adfuit, virtuti sua laus non constat; i-
 mō hæc vera est, per obstacula desidum, atque adversantium per-
 rupisse. Nunquam miles luit, si socium negligentiosem, aut
 malum habuit, nec fortitudini cæterorum ignavia obest. Mili-
 tes nostri, pedites, equites, cives, pari ardore, pari promptitudi-
 ne jussa exsequebantur. Nec turbare civis militem, nec miles
 civem. Invidia, odium, contemptus post esse, unica tan-
 tum adesse æmulatio. Miles, ut patriæ civis, civis, ut præsidia-
 rius, urbem defendere, suis quisque intentus munijis esse, im-
 peratis attendere, invigilare, præstare ocyus, inter ceteros et-
 iam equitum virtus illustris esse, qui arreptis pedestribus armis,
 officijs pro vallo pugnantes, fortiter occubuerunt, & in ultimo
 discrimine cunctorum animus promptissimus esse, cum ad urbis
 invasionem intentus hostis esset, nemo imperium detrectare,
 non desperatione fortes, non inedia, siti efferati, sed propriâ vir-
 tute animosi & cives, & milites hostem excipere, Falkenburgi-
 us plurimos impensè laudare, de nullo conqueri, omnibus gra-
 tias agere: quæ omnia inopia pulveris tormentarij plurimum
 minuit, militum paucitas ob plurimos in aggeribus extra urbem
 cæcos afflixit. Ante obsidionem, & sub ipsa, an res militaris
 per quosdam prudentius non potuerit administrari, si quis iniqui-
 us inquirat, de eo, sed haud nostri causa, silemus. Nobis hic
 quicquam intentatum nescimus, si fiat, dabimus pro fide, forti-
 tudine, consilijsque nostris ea argumenta, quæ palam faciant,
 probent, evincant, nec consilia, nec manus nostras rebus defuisse,
 & si illa quidem semper apud omnes valuissent, ipsâ etiam urbis
 obsidione hostem abstenturum fuisse. Sic litavimus probè
 (nam nec jactare superbum ducimus) amoris Patriæ, libertatis, e-
 jusque vindicæ. Necessaria, utilia, fida, perpetua fuere me-
 rita nostra. Res loquitur, testatur orbis, testabiturque. Maxi-
 mus Regum Gustavus hæc justâ æstimatione sæpissimè pensavit,
 neque curam, laboremve nobis, sed fortunam defuisse ratus est.
 Ad iteratò protulit. Magdeburgum etiam sibi juxta instructissi-
 mur

num exercitum carum, esse neque hunc tam profuturum, quam
 dubio illo tempore urbs, firmata, & fida foret. Instauratio-
 nem opulentam, magnificam, regiam promiserat, jamque typum
 delineari curarat, dederatque liberalitatis suæ, & propensi animi
 argumenta, & initia. Metalla, quæ in urbe ex templis, ædifi-
 cijs, tormentis, ahenis cerevisarijs, vasis relicta essent, quæque
 rure advecta, potestati nostræ permisit, donavit: sed varijs belli
 negotijs intentum curæ impediverunt; quoad in acie apud Lu-
 tzam Divus Heros vitam suam, & cum ea spem nostram finiret.
 Ex eo tempore in pejus res nostræ labi, magis quotidie atteri, at-
 que ad eam miserrimam conditionem, de qua nunc querimur,
 redigi. Omnis ordinis præfecti metalla eripere & auahere,
 quæ in muris, ruderibus congestis, fornicibus, cellis, templis di-
 rutis, publicis ædificijs superessent, & quæ in puteismersa, no-
 ctu, dieque effracta, eruta, effossa: si qua a civibus ex hortis
 puteisque eruerentur, per vim erepta, lapides ex urbe aliorum
 in usus privatos distracti. Mensura juris vis fuit, cum adversus
 eam, nec jura, nec questus valerent. In tuguriolis, cellulisque
 habitantibus milites graves fuerunt, non salgamorum exactione,
 & cæterorum, quæ exigent, extorsione tantum; sed, quod ma-
 ximum, iniis, convitijs, maledictis, probris, quæ singula enarra-
 re nec juvat nos, nec volumus rerum afflictarum nostrarum me-
 mores. Vim dominationis maxime experti sumus, ac sensimus
 miseri, quid ab hoste, quid ab amicis innocua plebes sæpe patia-
 tur. Dedimus grande patientiæ exemplum, atque ut olim
 Majores nostri, quid summum in libertate & felicitate, ita
 nunc nos, quid ultimam in servitute & calamitate esset, didi-
 cimus. Quæ cuncta, ut quamprimum rebus nostris succurre-
 mus, effecerunt. Urbis nostræ Consul, Senatorque, ad illu-
 stre Oxensternium missi, omnibus ex sententia impetratis,
 post 13. menses redierunt. Spem maximam animis concepe-
 ramus, intentique futurum nostræ urbis statum volvebamus;
 omnibus promissis regijs, ac plena instauratione beandi, ut in
 nostra urbe, sicut in cæteris, milites Magistratui etiam sacra-

mentum dicerent, penes eum quoque coërcitio militum esset, ut
 ratio stipendiorum exacta & certa esset, & donatorum bonorum
 usus quamprimum permitteretur. Sed ea gaudia nostra inopi-
 nò turbata sunt. Et cuncta scrutantibus, ditionis Proceres for-
 tunæ nostræ adversari verisimile fuit, atque paulò post ex libello
 supplici Illustri Oxensternio exhibito apparuit: ast eos Proceres,
 qui in comitijs Hallensibus à quibusdam inducti per legatos à
 Rege Sueciæ petierunt, ut Evangelicis Canonicis, qui ditionis im-
 perium sibi per superbiam vendicaverant, pristini juris plenaria
 potestas & auctoritas fieret: ijs certè, qui pridem Canonicatus
 suos pontificijs Ligisticis transcripserant, traditione ante di-
 ctâ, sine aliqua tergiversatione, multò minus aliqua de vi que-
 rela, jurisque debita conservatione, lubentes tacitique ces-
 serant, nil pro ditione, pro re publica ausi, se hosti permiserant.
 Eos Proceres, qui Cæsaris filium inter Ligistas primarium, etsi
 fidei sacramento Administratori obstricti, nec ex soluti essent,
 Principem aseiverunt, inaugurarunt. Ut tardi, imò nulli homi-
 nes ad pericula, sic ad occasiones infidi fuere, ceterosque
 aut exemplo; aut opera sua tardaverunt. Quicquid ab ipsis
 Regi Sueciæ præstitum est, id per vim extortum, aut metu ex-
 actum est. Administratorem multis pecuniæ (50. mill. Imperia-
 lium) promissis oneraverunt, inani eorum spe lactarunt, & hinc
 in eo inepta, & noxia securitas, quæ pericula non timens, me-
 tuendis semper proxima est; tempus ereptum, multæ occasio-
 nes corruptæ & dilapsæ. Profectò dum majori carnis umbræ
 inhiat, ipsam amisit. In hisce omnibus haud equidem maligni-
 tatem Procerum, & ordinum, sed imprudentiam culpamus.
 Non dubitamus, quin si eo tempore cuncta exactè atque dilucidè
 ob oculos sibi posuissent, aut ab alio posita essent, impigrè etiam
 nobis ad futuros fuisse, quos verus amor Patriæ duxit, sed impro-
 vidus abduxit, quorum consilij res rectæ, sed minus exactis tur-
 batae sunt, quorum studium erga nos ubique agnoscimus, ma-
 gisque adversa fortunæ imputamus, quæ etiam saniora con-
 silia sæpe destituit, & cum fata nutant, ea prima omnium turbat.

Scimus

15

Scimus, qui inter eos & se, suaque pro Rege Suecæ, pro Admini-
stratore, pro urbe devoverunt. Quorundam vitium, e- ho-
stium insidias, occultas machinationes, fraudes; eorum autem
in dijudicandis his rebus præcipitantiæ arguit; qua in agendis
nil perniciosius, nil exitius est. Diu consultandum est, quod
semel facias; si erraveris, corrigere, non licet, pergendum est,
quòque pergitur longius, eò propius ad interneccionem itur: &
haud rarò festina illa consilia in auctores tantum recidunt; sed
publicam rem simili periculo, exitio involvunt. Si negotij hu-
jus difficultas consilia eorum, quos & se, & nos promptius ser-
vasse decuit, exacuisset, melius se & res nostræ, & cæterorum
haberent. Rigida rerum discussione, exacta eorum, quæ cir-
cumstarent, examinatione, maturis consilijs opus fuit; quæ
eruda cunctis difficultatem, nobis exitium pepererunt. Ea si ad
rationis examen exigas, vident, fordentque, in quibus si cuncta
aperiantur, ut in alijs, sic in his de hostium præstigijs, fraudi-
busque, ad quas illi creduli nimis, de ipsorum comitialium
consiliorum, decretorum vitijs, & perversorum quorundam in-
ter eos nefarijs artibus & molitionibus cuiq; abundè constabit.
Nobis eares omnis in aperto est; sed ad quam nil nisi præces no-
stræ valent. Supremi Numinis arbitrium erit, hæc omnia aut in
perniciem nostram ut cedant, pati, aut avertere, à cujus benignita-
te idem fatum expectamus, quod Saguntinis accidit. Excidio
eodem perijimus, instaurationem quoque eandem nec Numen,
nec boni invident. Turdetanos, postquam sese Carthaginen-
sibus junxissent, & exitium Saguntinis attulissent, Carthaginen-
sium victor Scipio multavit, agrumq; Turdetanum Saguntinis ad-
dixit. Eadem adversus nos culpa multorum fuit. Tacemus non
solum de Jesuitarum & Ligistarum nefarijs artibus, sed & de Ev-
angelicorum ministrorum acerrimis rixis & contentionibus, quæ
hosti adjumenti & emolumentum non parum attulerunt, nobis vi-
res minuerunt, illis gloriæ & superbiæ, nobis pudori & exitio fue-
runt. Canonicos maximè detestamur, qui sæpius ante, & hu-
jus ultimæ urbis nostræ vexationis, oppressionis, devastatio-

mit

nis hosti potestatem fecerunt, quibus non tam aliqua facultas de-
 fuit, quam voluntas deesse non debuit, ut defenderent; quos of-
 ficiū, rapta, & jactata imperij potestas excire debuerunt, ut eam
 virtute, constantiā, agendo, patiēdo, consilijs, armis, quantum
 in se, & Patriæ & sibi conservarent. Ita apud Deum imperij
 ipsorum decus aliquatenus, apud mortales virtutis laus, honor-
 que penitus constitissent: sed erroneus, mollis, effœminatus-
 que animus, qui adversa, ut Scopulum horret, eos impulit, ut se
 fortunæ, non bonæ causæ sociarent. Maluerunt nimirum
 incertū felices esse, ac rebus suis servari, quam certò miseri,
 nec ad causæ æquitatem, & conscientiæ officium, sed commoda,
 & incommoda, prout fortuna sponderet, attenderunt: aliquam
 prudentiæ laudem assecuti, nisi & adversus successus eam ipsis
 denegasset; ostendissetque eorum demum verum prudentiam
 esse, qui consilia ratione, causæ æquitate, jure & virtute pon-
 derant, de cæteris, ut ut accidant, nil pensi habent. Eadem ipso-
 rum, quæ Turdetanorum & Carthaginensium, postquam a Ro-
 manis devicti essent, merces fuit. Nos, Sereniss. Reges, incly-
 ti Principes, Ordines nobiles, meritò vos compellare ijs verbis
 existimamus, quibus Saguntini legati in curia Romana usi sunt,
 quorum summa hæc est: *Ut patres rata, & grata haberent, quacun-
 que Romani Imperatores in se beneficia contulissent.* Ad quæ ve-
 strum consimile fore responsum confidimus, quale Patrum ad
 Saguntinos fuit. *Saguntinorum in Romanos fidem, rursus Ro-
 manorum in Saguntinos eam presenti bello extitisse, ut documento
 omnibus gentibus esset futura: Imperatores suos ritè ac rectè fecisse,
 quod omni beneficiorum genere Saguntinis, socijs fidelissimis, consul-
 tum voluissent, eaque Senatū, populumque Romanum omni tempore
 rata habiturum, & jam pro rata habenda in perpetuum decernere.*
Livius. Ut Patres Romani Saguntinis in pretium deperditorum & fidei
Sabellicus. præmium ab Imperatore collatum agrum Turdetanum non de-
 negarunt: ita vos quæcunq; invictissimo Regi placuerunt, nec ea
 solum, quæ ex pacto civium nostrorum debentur; sed & promis-
 sam Illustris Oxensternij instaurationem, donationemque proba-
 turos,

tuos, laudaturos, rata & grata habituros, vestra ope & subsidio
 promoturos, aucturos. Cuncta sine justa cujusquam querela,
 sine damno, urgentibus meritis & infelicitate nostra cedent in
 maximum civitatis nostrae emolumentum. Collegium Cano-
 nicorum cum templis, sacellis, monasteriis, & tota ditio alieni
 juris erat, à Ligisticis sub jugum missa. Et sacra, & profana ad
 alterius formabantur arbitrium; libertas nil nisi servitus erat,
 nomenq; restabat solum, quo vim dominationis leniret; sub
 qua adhuc desudarent, nisi Liberatoris nostri & suorum, qui-
 bus Canonici illi & adversarij nostri se non annumerant, auspi-
 ciis subducti essent. Ditioni inde damnum nullum: olim clo-
 ricorum bona omnia fuerunt, quae nobis donata, quae publico
 juri subjeciemus, tributa ex iis non detrectabimus, nec cete-
 rorum quidquam bono publico subtrahemus, quae nec in nobis
 suspicandi ansa ulla, nec in quoquam, quod scimus, suspicio
 est. Meliori loco ubique res cuncta aerarum esset, si ceteri ad ex-
 emplum nostrum se composuissent. Consules; Senatusque
 urbis nostrae patietur facile ea onera omnia sibi imputari, quae
 cum ipsis accedent; testatur etiam quotidiana experientia, ad
 publicam utilitatem, incolumitatem, instaurationem Patriae,
 commodius rerum gerendarum nervum penes civitatis aerarum,
 quam ditionem, ditionisque Proceres attineri, impendique.
 Nec refert Ecclesiastica esse bona, cum ea tantum sint, quae
 ad Coenobia & collegia, quae in urbe & circum-circa aedi-
 ficata, quaeque diu usque ad novissimam Ligistarum rabiem
 Augustanae confessioni addicta fuerunt, pertinere. Neque
 solenne iuramentum detrectabimus, quò certiores reddamus
 omnes, ea tantum in usum templorum, scholarum, pauperum,
 quorum reditus cum urbe interierunt, expensa iri. Nec
 est, ut quis de proventuum copia anxius sit, cum vastata,
 deserta, inculta omnia sint, quae si temporis tractu exculta
 majori proventu ad eos usus abundant, omne illud ad usum
 publicum, religionis, libertatis, & urbis conservationem, a-
 rario addicetur. Promittimus, spondebimus, jurabimus,
 ex eo nil quidquam in servitutum ad eam paetorum insolentiam,

C

tiam,

tiam, paciscentium similem arrogantiam, quâ dignitas principum imminuitur, quâ in illos censoria virgula sumitur, imperium arrogatur, dominatio exercetur; neque ad ea molimina, quibus Germaniæ libertas, præcipuè in religionis negotijs contra constitutiones, & recessus imperij, & avitos mores violatur, neque fovendæ ineptæ illi arrogantia, & execrandæ superbiæ & fastui, quibus nobiliores despiciuntur, ad invidiam odiumque incitantur, atque animi ingentibus virtutibus præditi ad ingenuiora vitia coguntur. Si cui tamen hîc ratio subesse videtur, ut Monachorum negotium agat, donationemque eorum bonorum Magdeburgo factam irritam putet, eum facti æquitatem primùm ostendere necesse erit, dein summo jure eos objiciemus possessores, qui amplioribus prædijs & dynastiis ditati sunt, quibus haud merita paria, non idem damnum, non laboris ob publicam utilitatem & honestatem deus patrocinantur, quibus tamen adversarij nostri, & eorum consortes, non solum molesti non sunt, sed & humili servitio & veneratione eos prosequuntur, & quod turpissimum, quidam in ipsis bonorum negotijs ijs inserviunt. Neque est profectò quicquam, quod præter ea bona in præmium laboris, ac infelicitatis solatium nobis cedat. Cuncta igni, ferro absumpta sunt, hostis prædâ onustus abiit, deserta, inculta regio, omnia situ, squalore sordent. Plurima occupantis fuerunt, alia abrepta, alia donata fuerunt. Miseri superstites bonorum quorundam donationem effligitavimus, impetravimus; sed in quorum possessionem adhuc ibimus. Si prohibemur, nostram quidem ex præclaris meritis gloria facta tecta erit, quam non ex præmiis, sed ex labore affectavimus, in quibus lætius honestum nobis fuit, quod magno constaret, si utilitas nos duxisset, idem præmium quietis, quam periculi maluisse nos, detinisset nos fortuna præfens, neque perditum eam ivissemus ad id tantum, ut restitueretur: sed non eorum officium constabit, ad quos ea merita spectaverunt, cujus decus nisi benignâ pensatione stabilitur, interibit, dabuntque exemplū,

quo

quo apud excelliores sui contemptum parient, & quamvis potentia forsitan ad præsens valeat, sequentis tamen ævi memoriam non exringuet, ceteris inertiam, & ignaviam magis approbabit. Rarò invenias inter seculi hujus mortales, quos intaminatus virtutis ardor inflammet, raros qui gratuito boni sunt, qui que non utilitate magis, quam laudis amore excitentur. Egregios mores præmia invitant: Perpetuum ferè illud Cyri est, *Nemo in bellis strenuus evadere unquam concupivit solius laudis gratiã, sed & commodi quoque sui causã*; quapropter idem strenuos & honore & præmiis afficij jubet. Id omnium gentium scitum est. Sic veteres Græci, Lacedæmonij, Athenienses, ad virtutem plurimos crexerunt, qui fortiter gestis eminent, duorum insignia in rempublicam merita ad imperium evexerunt, eorumque liberos paternæ virtutis hæredes honoribus, divitijs, cumularunt. Alexander Macedo Phareensium urbem, ob res in bello Persico fortiter gestas, restituit. Scipio Masinissæ fidem ac virtutem non solum imperij paterni restitutione, sed & præcipuæ Syphacis imperij partis donatione remuneratus est. Sic hodie ubique virtuti sua præmia sunt, omnesque avitum illud exemplum sequuntur, quò plurima virtutis exempla edantur. Et, quod caput omnium est, hujus rationem in *Jud. 1. 13. Sacris firmamentum habemus. Jam diu est, quod profugi, ex- 1. Sam. 17. torres calamitatibus, miseris inutrimur, nec melior eorum, 25. quos amor paterni soli detinuit, conditio fuit. Post homines 1. Chronic. 11. 6. natos ab omni ævo, temporumque serie nos dedimus præcipuum calamitatis, miseræ, infelicitatis exemplum. Plurimæ civitates uno casu, & uno sævitæ genere extinctæ sunt: in nos omnia desævierunt. Plurimas tempus diutinum attrivit, nobis una dies funesta fuit. Plurimis altera post excidium dies instauratione lata fuit, nos in excidio, in exilio ibimus infelicitatem, nec erit in ipsa morte in vultibus nostris major imago mortis, quam nunc est. Ubi nunc illa Diva misericordia! Aut omnis mortalitas obbruit, aut nos inter omnes peculiaris divinæ iræ victima sumus: Cœlo hoc nequaquam adscripserimus, in quo ut lentæ & acerrimæ iræ,*



hæc prompta & facilis venia est. Adeste clementes & benigni
 terrarum Principes urbis nostræ instaurationi, ut, quæ, dum
 vestris conatibus deservit, excisa est, vestro nomini rursus origi-
 nem, incrementum, ornatum debeat. Si eo loco res sunt, ut non
 patiantur brevî urbem nostram instaurari, si nec, quæ confœ-
 derationis pactis conventisque debita sunt, nec quæ Maximus
 regum verbis, & illustris Oxensternius scriptis promisit, conferri
 conditio rerum patitur: id unicum supplices efflagitamus, ut li-
 bertas, & commercia urbi nostræ restituantur, ut tutus Albis sit,
 ut in viis, compitis, præ, & in urbis portis, in foris, cellis nundina-
 tiones tutæ sint, ut quæ in afflictâ, diruta ac per triennium direpta
 urbe rudera, lapides, metalla adhuc sunt, nostræ potestatis fiant,
 quò miserrimam trahentes vitam, ac inopi questu calamitatem
 tolerantes, securi saltem piè & placidè animas nostras Deo sacre-
 mus, ut in patrio solo, in quo felicibus olim vivere lætum fuit, mi-
 seris mori saltem liceat. Quo si nec ea pietatis cura mortales tan-
 git, aut si & hoc ipsum per varia belli obstacula impeditur, si nec
 præsidium in urbe locari, sine impedio nostro stipendia solvi, de
 comæatu, annona ritè prospici non potest, quæ aut ceteris im-
 pensa sint, aut in aliis locis majori emolumento servantur, id ul-
 timum necessitas petere nos cogit, ne inani & vanâ spe diutius de-
 tineamur. Si fata obstant, ea sequemur, & cedemus urgenti ne-
 cessitati, cunctis pietatis nostræ in Patriam, concivesque officiis
 defuncti. Lente remedia, & medicos segnes non patitur tristis
 & misera conditio nostra, cui beneficia insigniora & cariora erunt,
 si morâ non maculantur, si quod in præsentî, nec diu librato
 beneficio est, veræ liberalitatis, benignitatis, clementiæ genius ine-
 rit. Si libertas, & commercia restituantur, est certè, quo in ca-
 lamitate spiritum servemus, ut felicitati temporum superesse pos-
 simus, si benignius Numen & melior mens utilioribus votis no-
 stris aliquando aspiret. Si impedimenta obtenduntur, laudabi-
 mus promptitudinem, si citò fiat, nec magis salutem negabunt,
 quam si dubiam nobis afflictis dedissent: non vagabimur amplius
 cæci dubiique, nec iis à maledictione metus erit, quam Deus cæci
 seducto.

seductori interminatus est, dignusque quid bono viro agent, *Deut. 37.*
 quam si plenis buccis benedicerent, interim tamen summo mane *18.*
 exsurgerent: sed quisque sibi consulendi rationem optimam inibit, *Proverbo*
 incolumitati studebit, ac modis omnibus ad fortunas priores *27. 14.*
 enitetur: neque quenquam impiè, & imprudenter desertæ Pa-
 triæ, conciviumque culpa dehonestabit. Nos sedibus exteris
 immorabimur, iisque, quos rudera & fuligo dirutæ & combustæ
 urbis delectant, felicia omnia precabimur. Iis, quos rapinæ,
 furta, aucupia, fœnifecia inter moenia & suburbana nostra de-
 lectant, idem precamur, quod ex ruderibus vel tectis messem quæ- *Psal. 129.*
 rentibus; quandoquidem honestiora & feliciora ipsis non placu- *Psal. 109.*
 erunt. Sequetur à tergo ultor Deus, cui cordi miserorum la- *17.*
 menta sunt, non eversores & prædatores istos tantum, sed cunctos,
 quorum desertio causæ nostræ, ignavia, & inhumanitas, auxilia
 afflictæ urbi nostræ non tulit. Calamitatis nostræ terra, flumina,
 Oceanus, aër, æther testimonia habent, quæ ne in ultionem tanti
 sceleris, tantæ inhumanitatis, tantæ crudelitatis aliquando con-
 spirent, ne contremiscat aliquando terra, succussoque solo præci-
 pitet, quos nec humana fors, nec cura vindictæ divinæ sollicita-
 vit, & scellerum etiam istorum hæredes luant, quæ avi delique-
 runt, benignius Numen prohibessit. Parturit vindictam, quod-
 cunque divinæ iræ instrumentum est; quæ non nisi benefactis &
 precibus averruncabitur: id autem vestræ benignitati & clemen-
 tiæ, Serenissimi Reges, Inclyti Principes, tribuimus, quæ ut pieta-
 tis officium erga nos promptè exsolvet, ita ei nec à Supremo Nu-
 mine, nec terris periculum erit. Petimus humiles hæc urbi &
 civibus restitui; urbis plenariam, a vitam scilicet libertatem; tuta
 & ab omni vectigali immunitia commercia cum vicinis & remoti-
 oribus, quibus ex ijs par, quæ nostræ urbi utilitas; ut hæc belli ci-
 vilis tempestate ex communi ærario stipendia militibus indubia
 & fida sint; quibus in officijs confœdaratorum, & Magistratus
 urbis nostræ pariter contineantur, utriusque sacramento militari
 obstricti, ut, quæ ad conservationem templorum, scholarum, &
 in ijs officiorum egenæ urbi nostræ bonorum facta est, donatio-
 nem

nem probetis & promoveatis, præcipuè urbis singularem libertatem, quæ ab annis aliquot ante Passavicum conventum illibata perstitit, autonomiam in ecclesiasticis ab omnibus insidijs, & oppressionibus defendatis. Sic principes, sic homines eritis, sic nobis fortunam restituetis, vobis imperium stabilietis, prorogabitis, quod maxime animorum promptitudine, non vi legum æstimatur. Allicit clementia mortales, & quam ceteris præstari vident, eam sibi quoq; exoptant, & cum ea Regem. Ita minima imperia ad ingentem amplitudinem creverunt, dum quisque certatim omnibus officijs clementissimi cujusque regis amicitiam demeritus est. Beneficijs regnum paratur. Egregiè Alcibia-

Thucyd. ades ad Athenienses. *Hunc in modum imperium paravimus, & l. 6. nos, & quicumque alij rerum potiti sunt, impigre succurrendo semper ijs, qui implorabant, sive barbari, sive Græci appellati. Nam si superfedamus opitulari, aut inter genera hominum, quibus opitulari oporteat, delectum habeamus, paululum quiddam imperij per hoc acquirentes, de ipso imperio, magis periclitabimur.* Nec jus quoque


Thucyd. clementiæ in hisce dæst, quo Lacedæmonij usi in bello Pelopon- l. 2. nesiacæ, cum se vindices libertatis dixissent, & præstitissent, præcipua sibi vendicaverunt. Communis omnium causa, & pro ea studium Magdeburgo exitiosum fuit. Ita nostrum aliæ civitates exemplum sequentur, ut præmiavidebunt. Fuimus ex præcipuis, qui partibus Suecorum faverent; & inter præcipua exitium nostrum est, ubique variis, sed ingentibus affectibus exceptum. Si præmia indignantem miserationem cunctorum leniunt, id sibi facilius permittent, à partibus ijs esse, quibus non major felicitium honor, quam miserorum cura & refocillatio est. Exemplum nostrum sibi documento sument; si nec præmium, nec miseratio tristis virtutis ulla, nec imitatio erit; ignava in ijs virtus, tantum damni dabit, quantum nos emolumentum dedimus; nec dubitandum est, sic undique quæque minantur, & gemmæ, flores, primi fructus properè ad maturitatem ibunt. Sed hic jubet Plato quiescere. Vos, Serenissimi Reges, Inclyti Principes, Ordines nobiles, Deo commendamus, confidimusque eum calamitatem

lamitatem nostram benignioribus oculis aspexisse, qui misero- *Psal. 10.*
 rum desiderijs satisfacit, & quos multiplici experentiâ edocuit, se *14. 17.*
 ad ea semper attendere; cum animos vestros flexurum, ut ad
 opem nostram prompti festinent, nobisque calamitosis Magde-
 burgensibus, ceterisque bonis laudis, honorisque materiam da-
 turum; ut cum Propheta Deum sic celebremus. *Omnia ossa*
mea dicant; Iehova. Quis est, par tibi, qui eripis pauperem & c. Psal 35.
 Vocis eam laudem, quæ Jobi fuit, qui viduarum, orphanorum, *10.*
 miserorum asylum, spes, & solatium, in eo totus fuit, ut iis tam
 opitulatio, quàm miseria suppeditaret. Ita ultimo die vobis ca-
 gloria tribuetur, quam clementibus, benignis, misericordibus,
 & beneficis Christus promisit. Exaudite, ut & Deus vos exaudiat.



FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Faint, illegible text, possibly a date or a signature, located below the embossed seal.

III





TK 4441

ULB Halle

3


003 550 354



kon

nc





RE
PRI
RE
PRI
O
Exulur



7

